Liber sancti petri mersbordia. Sermones peregrini.

Dominica prima in adventu domini

Ecce rex tuus venit tibi. In hiis verbis consolatur
sanctos patres qui diversis tribulationibus
afflicti fuerant ante adventum christi et primo
obcecati fuerant vel coinquinati et non
poterant ingredi templum celeste et nullus poterat in-
venire in mundo qui eos absolveret. Item aliqui
errabant sicut oves sine pastore et viam que ad celum
ducit non poterant invenire. Item antiqui erant
captivi et qui eos redimeret non habebant et ideo
istis modis afflicti clamaverunt in celum ut deus
mitteret aliquem qui eos absolveret et ad viam eos du-
ceret et qui eos de captivitate redimeret. Deus autem
qui pius est in omnibus qui invocant eum in veritate
audivit lamentabilem vocem eorum et respondit
eis hodie in evangelio dicens: Habete bene quia rex
tuus venit tibi. Ubi tria dicit. Primo potentia in hoc quod
dicit rex qui scilicet ita potens est quod te bene liberare
potest. Secundo sua propinquitas manifestatur in hoc
quod dicit venit. Ideo cum honore et sine mora et cum debi-
ta reverentia et preparatione recipi debet a nobis. Tertio vero
eius utilitas cum dicitur tibi id est ad utilitatem tuam.
Sed videamus hanc utilitatem. In hoc notatur
eius utilitas quia venit tamquam mediator, tamquam
bonus pastor, tamquam fidelis fideiussor, tamquam
fidelis medicus, tamquam pugil fortis, tamquam
sapiens advocatus. Venit ergo primo tamquam pius me-
diator ut offensam reconciliaret. Ad thymotheum
2o: Mediator dei et hominum factus est. Unde apostolus dicit:
Cum inimici essemus deo reconciliati sumus per
mortem filii eius. Et hoc figuratum fuit Numeri xvi ubi
dicit quod pro peccato terra absorbuisset dathan et abiron